

The Electronic *Manipulus florum*
www.manipulusflorum.com

Deus m
cum fonte primo

Nusquam deest et tamen ab iniquorum cogitationibus longe est,
nec tamen ibi deest ubi longe est
quoniam ubi non est per gratiam, adest per uindictam.

Deus ubique presens est et uix inueniri potest,
stantem sequimur et apprehendere non ualemus.

Gregorius ibidem (libro II. moralium)
et in omelia VIII. super Ezechielem.

In solo Creatoris sui lumine fidei oculos figat,
quod unus uiuificet omnia qui creauit Deus,
quod ubique est et ubique totus est,
quod incircumscribitus et incomprehensibilis sentiri potest
et uideri non potest, quod
nusquam deest et tamen ab iniquorum cogitationibus longe est,
quod nec ibi deest ubi longe est,
quia ubi non est per gratiam adest per uindictam,
quod omnia tangit nec tamen aequaliter omnia tangit.
Quaedam enim tangit ut sint, nec tamen ut uiuant et sentiant,
sicut sunt cuncta insensibilia.
Quaedam tangit ut sint, uiuant et sentiant, nec tamen ut discernant,
sicut sunt bruta animalia.
Quaedam tangit ut sint, uiuant et sentiant et discernant,
sicut est humana et angelica natura.
Et cum ipse numquam sibimetipsi sit dissimilis,
dissimiliter tamen tangit dissimilia.
Quod ubique praesens est, et inueniri uix potest,
quod stantem sequimur, et apprehendere non ualemus.

Gregorius Magnus, *Homeliae in Hiezechielem prophetam*, 1.8.16
(CCSL 142, M. Adriaen ed., p.109, ll.294-308).